Draski Adami: Quaestio de cognitione supremi motoris via naturae.



QVÆSTIO
DE COGNITIONE SVPREMI MOTORIS VIA NATVRÆ.

IN ALMA ACADEMIA CRACOuiensi publicè ad disputandum, Mense Junio, die 6. hora 9.

A

M. ADAMO DRASKI,
Ordinario Græcarum literarum Professore,
proposita.

Permissu MAGNIFICI D. RECTORIS.





GRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij,
Anno 1631.

G. W.

S.T. D.

P W.



S L.

P.C. C.

S. R. M. S.

NObile nomen habes, quod Regnum pervolat omne
Sarmaticum, Patriæ luxq; decuſq; Scholæ.
Illa Tibi magnos ſemper gratatur honores,
Quos præbet meritis fixa CORONA *Tuis.*
Lætandum quis non iubeat? felicia ſecla
Agnoſcit, iuuenum Palladi Sacra cohors,
Viue diu felix Patriæ, ſucceſſibus iſtis
Actus accumulet dextera magna DEI.

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino.

DOMINO GABRIELI WŁADISŁAWSKI, S. T. D.

PRÆPOSITO WARSOVIENSI,

SCHOLASTICO LANCICIENSI, PLOCENSI,

GVLMENSI CANONICO, S. R. M. SECRETARIO.

&c. &c. Domino & Patrono amplissimo.



AMETSI DIGNITATIS TVÆ apud nos amplitudo, Perillustris & Admodū Rnde Domine, me verecundiâ quadam à Tuo accessu retardabat, ne scholasticas curas Tibi, magna apud omnes auctoritate Viro, grauioribus impenso negociis obtruderem: tamen hæc præsentis Tuæ in Academiam beneuolentiæ facta prolixa significatio, & eximia humanitas me induxit, vt ex Nominis Tui literarum non modò Fautoris, verumetiam Amplificatoris splendore, nonnullam huic meæ velitationi, quæ per se tenuis est, quærerem commendationem. Illustre & amabile est Nomen Tuum apud Academicos, qui TE à DEO ad excitanda ingenia, quibus longè minus, quàm mediocris obsisteret fortuna, magno literarum incremento, datum esse testantur. Fruêre hac virtute Tua & fortunâ,

Perillustris Admodum Reuerende Domine, & DIVI JAGELLONIS WLADISLAI Nomen Fundatoris nostri, cuius SERENISSIMÆ Progeniei factus es alumnus, literis ab interitu vindicandis propaga, atq; fundum Regium, opibus in nullam rem melius collocandis cultiorem redde. Nos autem DEVM Optimum Maximum, rogamus, vt qui tam præclaram menti Tuæ instillauit cogitationem, idem perficiendi præstet facultatem. Interim huic meæ importunitati in TE summa gratia Principum, & præstanti dignitate viro compellando, veniam precatus, penitus ac totum me trado Perillustris & Admodum R. V. D. patrocinio. DEVS præpotens saluum & incolumem TE diutissimè seruet, literarum & literatorum Patronum singularem. Dat. è Collegio Minori, die 6. Iunij. Anno 1631.

Perillustris & Admodum R. V. D.
deditissimus.

M. Adamus Draski.

In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO DE COGNITIONE SVPREMI MOTORIS VIA NATVRÆ.

Vtrùm Motus, qui maximam partem ſcientiæ de natura abſoluit, ex comparatione mouentium & motorum inter ſe, ad principium immobile reductus, aperiat viam ad exiſtentiam Dei, naturali lumine inueſtigandam necne?

CONCLVSIO I.

Motus contemplatio maximam partem ſcientiæ naturalis conficit.

Corrolaria.

I.

Cognitionis noſtræ initium, à ſenſu omnium rerum exploratore ducitur.

II.

Motus maximè omnium accidentium, ſeſe offert ſenſui, tanquam commune ſenſile.

III.

Motus ad contemplationem naturæ, primus homines excitauit, cuius principiorum indagatio ſcientiam naturalem conſtituit.

IIII.

Scientia naturalis, inter cæteras partes Philoſophiæ eſt prima, origine.

CONCLVSIO II.

Ordo mouentium & motorum progreſsionem infinitam reſpuens, ſiſtit in primo mouente ab extrinſeco non moto, ſed prorſus immobili.

COR-

Corrolaria.

I.

Motus pendet à motore & moto realiter distinctis, tanquam à causa adæquata.

II.

Id quod ab alio mouetur, necesse est vt recidat in id, quod ex se mouetur, ita vt constet ex parte mota, & mouente immobili.

III.

Motus procedit ab immobilitate.

IIII.

Primi mouentis ratio est, vt reliqua mouentia illo motionem intermittente mouere nequeant.

CONCLVSIO III.

Mouens primum immobile ex mente Aristotelis est Deus Optimus Maximus.

Corrolaria.

I.

Substantiæ separatæ tot ponuntur ab Aristotele, quot sunt orbes, quos circumuoluunt.

II.

Inter orbes cœlestes, quò superior orbis est, eò perfectior motor ei præsidet.

III.

III.

Vnius orbis non nisi vnus motor, & primi orbis, non nisi primus motor est.

IIII.

Cùm præter motores orbium nulla sit Aristoteli substantia separata cognita, vero simile est eum sensisse, primi orbis primum motorem DEVM *esse.*

CONCLVSIO IIII.

A motu naturali, Philosophus assurgens ad principium mouens immobile, ob idq; à materia separatum, naturali ratione deprehendit Deum esse.

CORROLARIA.

I.

Deum esse quamuis sit secundum se notum per se: tamen nobis à diuinæ essentiæ intuitu remotis, non est per se notum ac euidens.

II.

Est verò demonstrabile, non per causam, cùm ipsius nulla sit causa, sed per effectus sensiles.

III.

Nec motus quidem est proximum medium, qui cùm sit functio corporea non nisi formam corpoream indicat, sed ex consecutione, nam vbi ratio, comparans mota,

cum

cum suis principiis insinuarit se in noticiam primi mouentis, colligendo attributa, quæ in solum DEVM cadunt, quòd sit Vnus, immobilis, infinitus, virtus carens corpore, & alia, Existentiæ DEI cognitionem adipiscitur.

IIII.

Imbecilla tamen est sine luce cœlesti ratio humana; neq; enim congruum est vniuersi Principem, vni orbi veluti molæ alligare, cui modus operandi perfectior ac eminentior conuenit, nimirum virtutem mouendi imparti ri cùm cœlestibus motoribus, tum rebus aliis omnibus, à quo dependet cœlum & vniuersa; cui sit laus & gloria in omnem temporum æternitatem.

D. AVGVSTINVS. lib: I. de Fide.

Hic est, de quo cùm dicitur, non potest dici, cùm æstimatur, non potest æstimari, cùm definitur, ipsa sua definitione crescit.

✠ ✠



Sub felicibus auspicijs Admodum Reuerendi Patris ac Magnifici Domini, D. M. ADAMI OPATOVII, S. Th. Doctoris & Professoris, Nouodworscianarum Scholarum, & Jagelloniani Contubernij Prouisoris, ad S. Annæ Decani, necnon Almæ Academiæ Cracouiensis Generalis

RECTORIS.



